Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1161
Quelle:
Copyright:

initium ſit a verbis: *Omne enim bonum noſtrum uel ipſe eſt, uel ab ipſo eſt* &c. quae leguntur L. I. *Diſt. I. Art.* G. Cetera omnia ſalva. Singulis Libris praefixi Elenchi, lectio proba. Thecae poſticae praeter metricam de peccatis Confeſſuri Inſtitutionem variae aliae verſu concluſae Sententiae commiſſae ſunt, quarum en unam alteramque.

Ceſſet in alterius oculo reprehendere labem,
Qui ſolet in proprio lumine ferre trabem. Item:
Poſtquam Nobilitas ſeruilia cepit amare,
Cepit Nobilitas cum ſeruis degenerare. Item:
Laetificor per do, *ſed per* dabo *munera perdo.*
Per do *certus ero, ſed habebo per* dabo *ſero.* &c.

CCCCLXXIII.

U. 277 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 305. f. max. per duas columnas luculente, pereleganterque ſcriptus, rubricis, lemniſcis marginum, literis initiorum iconiſmos auro coloribusque pictuſatos referentibus ſplendidus exhibet *Petri* Ep. *Pariſ.* dicti a Patria *Lombardi*, Sec. XII. Scriptoris *Libros IV. Sententiarum*, unde *Magiſtri* vocabulum obtinuit. *Fol.* 1. currente calamo adſcripti ſunt *Articuli in quibus non tenetur Magiſter ſententiarum*, prout poſt plures jam Sec. XV. editiones habentur ad calcem *Sententiarum Lovanii* 1546. p. 396. f. Ipſius Operis initium a *Prologo* ducitur, qui infit: *Cupientes aliquid de Penuria ac tenuitate noſtra cum paupercula in gaçophylatium domini mittere* &c. Sequitur Elenchus *Capitum* L. I. non adnotatis *Diſtinctionibus*, quae tamen per Libri decurſum notantur in margine, et haec porro ſequentium etiam Librorum eſt ratio. Lectionis probitas non abludit ab Exemplaris magnificentia, ad cujus calcem adjecit Calligraphus:

In numero cleri quisquis probus optat haberi,
Eſt opus, ut ſcriptis iugiter meditetur in iſtis.

CCCCLXXIV.

U. 287 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 187. f. per duas columnas minutius exaratus, rubricis pernotatus, et olim teſtante Theca anteriore *Petri Etter licentiati in Artibus et ciuis Wienn.* I. continet aliud *Petri Lombardi* Exemplum, quod poſt *Praefationem* Syllabus *Capitum* omnium IV. *Librorum* antecedit, *Diſtinctionibus* per decurſum tantum in margine atramento notatis. Ad calcem haec minio: *Maria dorothea. Expliciunt ſententie comparate et ſcripte per Johannem ſacerdotem de ernſprunna interim ſocius* (Geſellprieſter)